Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2555
Quelle:
Copyright:

Aurispa tradiderunt aliqui; at vero *Mazzuchellius Script. Ital. Vol.* I. P. 2. p. 1280. ad *Poggium Florent.* transfert. Vide *Indicem* nostrum.

VI. *fol.* 199. Sermo *de Spiritu sancto* in illud: *Mittam vobis spiritum veritatis Job.* XV. Incipit: *Reuerendi patres et domini, Spiritus sanctus a patre ac filio ac a se ipso duobus modis mitti siue dari dicitur* &c. Synodalis videtur, et subscriptus est: *In klam anno 55.to*

VII. *fol.* 201. p. 2. Literae *Calixti* III. P. M. ipsa electionis die *Aprilis* octava 1455. datae ad *Sigismundum de Volkensdorf* Archiep. *Salisb.* quibus significat se Papam ab obitu *Nicolai* V. renunciatum, petitque, ut ad impetrandum sibi a Deo auspicatum regimen supplicationes per Provinciam habeantur. Initium: *Kalixtus episcopus Seruus seruorum dei Venerabili fratri archiepiscopo Salczburg. Salutem et appostolicam benedictionem. Immensa summi dei bonitas* &c. Inseruit has literas, omissis, quae de morte *Nicolai* et electione sua *Calixtus* memorat, T. II. *Germ. Sacrae* ad p. 490. *Marc. Hansizius* nostro e *Codice.* Subscriptae sunt: *Datum Rome aput Sanctum Petrum VI.to idus Apprilis Anno Incarnacionis Dominice M.o. CCCC.o. Lquinto.*

VIII. *fol.* 202. Formula voti et jurisjurandi ab eodem *Calixto* nuncupati de *Oriente* a *Turcis* vindicando. Incipit: *Ego papa Calixtus tercius promitto et voveo Sanctissime trinitati* &c. Finit: *Quod si oblitus fuero tui ierusalem obliuioni detur dextera mea — Si me deus adiuuet et hec sancta ewangelia.* Subscripta: *Collacionata per me Georgium Czingesser Clericum Aquilegien. Dioce. publicum Imperiali auctoritate Notarium.* Legitur L. XI. *Hist. Hussit. Job. Cochlaei.* De alio *Calixti* voto ante Pontificatum concepto breviore adi *Ciaconium* in *vita.* Nostri jam meminit *Antoninus* in *Chron.* P. III. *Tit.* 22. c. 14.

IX. *fol.* 202. p. 2. Publicatio *Literarum*, quas supradictus *Archiepiscopus* cum a Cardinalibus Electoribus, tum a *Calixto* electo acceperat, mandato illius facta per *Erhardum Karmnecz Decretorum Doctorem Plebanum in Gredwein ac Archidiaconum Marchie Stirie Inferioris. Data In Gredwein Die Mercurij Mens. iunij XXV. Anno Domini M.o. CCCC. Lquinto.* Literas *Sigismundi* huic publicationi insertas *datas Salczpurge die quinta Mens. Iunij Anno &c. Lquinto* habes apud *Hansizium suprac. p. 491.*

X. *fol.* 203. Publicatio Bullae *Calixti* datae *Romae XII. Kal. Iulij Anno Domini &c. LVI.o.* ex mandato *Sigismundi* Archiep. subscripto: *salczb. die quinta mensis octobris* facta per eundem *Erhardum karmnecz in gredbein decima sept. nouembris* ejusd. anni. Subjiciuntur *Excerpta* ex ipsa *Bulla*, cujus nec *Bullarium Rom.* nec *Ciaconius*, neque *Hansizius* meminit, quaeque rationem publica-

rum